

procuratorem, per quem super premissis possemus plenius informari, respondit quod non, quia ipse per se procuraret et gubernaret et servitores et familiares sui precepta sua adimplerent. Interrogatus etiam de etate sua, respondit se esse XXXIX annorum vel circa^c. Item Iohannes Richardinch ipsius fratris Alberti commendatoris familiaris et servitor necnon rectores superius nominati singulariter singuli et singillatim mediantibus eorum iuramentis super premissis diligenter examinati non potuerunt se expedire nec me aliquatenus super hiis informare, nisi quod quidam ipsorum dixerunt se recordari ibidem plures aliquando fuisse fratres, set quot nescierunt, et quod nonnulla bona predictae capelle in eorum parrochiarum limitibus sint constituta. Scientes eciam, pater sanctissime, me super premissis aliter preterquam, prout premisum est, non posse informare, et quod informacionem huiusmodi per Iohannem Kemerer notarium publicum infrascriptum de mandato meo in publicam formam redactam sub sigillo meo clausam venerabili patri domino Florencio episcopo Monasteriensi et apostolice sedis nuncio et collectori in meis civitate et dyocesi Mindensi deputato, prout mandastis, mittere et assignari procuravi vestre sanctitati presentandam una cum litteris vestris supradictis. Actum et datum meo sub sigillo anno a nativitate Domini M^o CCC^o LXX^o tercio mense Iulii die vicesima in aula mea episcopali in civitate Mindensi.

[Signum] Et ego Iohannes dictus Kemerer clericus Mindensis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, quia premissis examinationi et informationi et aliis predictis, dum sic, ut premittitur, per reverendum in Christo patrem et dominum dominum Wedekindum episcopum Mindensem prefatum agerentur et fierent, presens interfui eaque sic fieri vidi et audiui, ideoque de mandato et ex speciali commissione eiusdem domini episcopi fideliter conscripsi et hic me subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redege signoque meo solito et consueto signavi requisitus.

2.

Ludolf von Schüttorf, Kantor des Stifts St. Johann in Osnabrück und Official des Bischofs Melchior, berichtet über die Aussagen des Fr. Friedrich von Brochterbeck, Johanniterkomturs zu Lage, zu Personal und Wirtschaftslage dieser Kommende. Genannt werden die Ritterbrüder und Oblaten mit Namen und Alter; die Einkünfte aus Höfen in den Pfarreien

c) Der Rest der Zeile ist freigelassen.